



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XVII. Stephanvs. XVIII. Adelvinus. XIX. Guiso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

integritate gessit, ut aulam Regis in DEI domum conver-  
sam dixerint æqui rerum æstimatores. Consilia is sua cum vi-  
ris virtute & munere sibi paribus communicans, Ecclesiæ & reg-  
nis mirè profuit, doctus miscere eum in modum sacra profanis,  
ut dum alieno etiam curas intendebat, suo tamen nunquam defuerit  
officio: unde Stephanus Abbas Divorum eo tempore Episcopo-  
rum mores dilaudans hæc scripsit: *quale, quàm sanctum erat illud pa-  
latium, ex quo tam sanctos, tamque illustres suscipiebat Ecclesia Sacerdotes? ex quo  
procedebant sectatores non Simonis, sed Petri; non mercenarii, sed veri ministri Chri-  
sti; & qui curias Regum non quærent, sed potius à Regibus quærentur ipsi, quique  
non honores per ambitionem appetent, sed magis ab oblatiis, per humilitatem refuge-  
rent. Ex quorum numero; erant enim plurimi, fuit Arnulphus Metensis, Cunibertus  
Coloniensis, Tungrensis Remaclus, Trevirensis noster Modoaldus, istis & omnibus aliis  
omni virtutum genere conferendus. Vide plura in brevvero p. ag. 343.*

Cæterum inter elogia D. Cuniberti numerârunt etiam, quod  
Reliquias Divæ Ursulæ & Sociarum Virginum loco honoratori  
posuerit: unde cecinit Poeta:

Detexit cineres Ursula Diva tuos.

Annis 40. illustravit Sedem Coloniensem, mortuus an. 660.

#### XVI. BOCALDVS.

**B**Ocaldus D. Cuniberti Successor annorum 20. Episcopus,  
vel laudari multis non est promeritus, vel veriùs laudes  
posteris transcribere neglexerunt Germani majores nostri,  
gladio, quàm calamo nobiliores, quod queruntur hodie mul-  
torum nobilissimi cineres, & plurimorum in Germania Præfulum,  
inter quos veniunt

XVII. STEPHANVS. & Sed. 10.

XVIII. ADELVINUS Sed. 4.

XIX. GUISO.

**G**uiso Archipræsul is fuit, cujus vigilantia id deberi te-  
stantur Veterum annales, quòd Romanis aris amplior  
patuerit

pauerit locus per Frisiam & Westphaliam, unde cecinit Laudator Guifonis :

Erectas noviter Christi Guiso aspicit aras  
In Friso pariter Westphalicoque solo.

Sedit an. 14. mortuus an. 708.

## SECVLUM VIII.

### XX, ANNO I.

**A**nno I. Episcoporum duorum virtutum decore clarissimorum socius nondum Episcopus, cum utroque multa agere, & pati multa didicit, præsertim verò ea tempestate, qua D. Lambertus Trajecti Episcopus Pipini Heristalli adulteria perstrinxit virgulâ censoriâ, ob id ipsum à Dodone adulterantis fœminæ fratre occisus. Alter fuit D. Ludvvinus Trevirensium Archi-Episcopus virtutibus & miraculis celeberrimus. D. Suibertum ex Anglia venientem excepisse scribitur Anno etiam; verùm repugnare videtur temporis ratio; aut annis centum & pluribus vixisse D. Suibertum oportet, quem sub Seculi VIII. finem, & sub Seculi IX. initium Verdensium Episcopum primum fuisse novimus an. 809. mortuum. Annonem verò mortuis annumeratum jam fuisse an. 709. testantur Annales Coloniae. Vitio Annoni verterunt multi, quòd D. Lamberti exemplum minùs strenuè sit secutus in castigandis Procerum vitiis publicis.

### XXI, PHARAMVNDVS.

**P**haramundus post Annonem unius anni duntaxat Episcopum Coloniensi Ecclesiæ annis duobus præfuit. Longiori fortassis tempore Trajectensem tulit Infulam, postquam D. Lambertus in exilium pulsus, contra vitium pro virtute perorare non destitit: in hujus enim viduam Sedem intrusum fuisse memorant Leodii Scriptores.